

469

467

473

463

478

458

518

418

568

368

Ende

Anfang

458

quod in civitate non potuimus invenire locum paululum respirandi.
Haec civitas non est magna mole, sed ingens virtute et nobilitate
ex nobilissimorum ducum Austriae possessione, ad quorum nutum
dependet totius Alemanniae salus, praecipue nunc hac tempestate,
in qua mundi monarcha a domo illorum illustrissimorum ducum
dependeat. Nam imperialis majestatis solium Fridericus III. possidet (228a), et coronam Romani imperii Maximilianus ejus filius
obtinet, qui sicut dux Austrasiae, sic et dux Burgundiae totius
solus existit cum filio suo Philippo, et Athesim et comitatum
Tyrolim, Sueviam, Brisgoviam, Alsatiam Sigismundus habet, tanta-
que gloria domus Austriae pollet, ut universi reges et principes
obsequium praestent aut formident, et omnis civitas et locus ab
eis possessus quandam ingenuitatem cunctis venerandam et tre-
mendam contrahit, praecipue tamen loca illa famosa redduntur
ducum illorum inhabitatione solemnisata, ut est locus ille Ponti-
nensis civitatis, quae dicitur Pontina, a ponte et Ino flumine, cui
etiam consonat vulgare ejus vocabulum Insprugg, et signum civi-
tatis in clipeo, quod est pons et Inus, in quo communiter sedem
habet aliquis principum Austriae ab eo tempore, quo hoc domi-
num ad domum Austriae devolutum est. Nam olim ducum Ba-
variae comitatus Tyrolis erat, et ea portio data fuit dominae Mar-
garetae, quam propter sui turpidinem nominabant Multesch, quia
excessiva oris latitudine deformis et quasi monstruosa erat, ut
referre solet vulgus, eratque de ingenuo Bornarorum sanguine, cui
nullus princeps copulari voluit propter turpidinem, quamvis esset
abundantissima et industriosa; quae dum Venerem avidissime ap-
peteret et cooperator nullus accederet, amissa foeminea pudicitia
divulgari preecepit, ut quicumque ejus frui vellet concubitu, ve-
niret et eam terramque suam possideret. Multi autem nobiles
ad eam successive accesserunt, qui omnes perdi amplius non
fuerunt visi. Erat enim foemina inhumana forma et specie et
libidinis cupidine bestialis, ut Semiramis, et quia inter nobiles
nullus Priapus erat, qui ejus bestialitatem satiare posset, irata
naturali disciplinae omnes peremit. Porro tunc temporis erat dux qui-
dam Austriae, multis ornatus filiis, qui audiens venalem tam ele-
gantem patriam cum una turpi bestia, misit unum de filiis suis,
robustissimum, ut acciperet ambo. Juvenis autem collectis viribus
ingressus est Tirolim et perductus ad dominam Multesch, quae

